

Q. K.
412,
3.

מִתְמִשָּׁר

H. E.

DISSERTATIO PHILOLOGICA,
de

SINGVLARI HEBRAEO-
RVM CVRA SEPELIENDI
MORTVOS,

AD ILLVSTRATIONEM VERBORVM CHRISTI;
MATTH. VIII. 22. LVC. IX. 60.

Gaß die Todten ihre Todten begraben.

QVAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DNO. GVILIELMO HENRICO,
DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM, ANGA-
RIAЕ, ET WESTPHALIAЕ, AC RELIQVA,

PRO LOCO,
IN AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE,
RITE ET MORE PRIORVM OBTINENDO,
PLACIDO ERUDITORVM EXAMINI SUBMITTIT,
LEONHARDVS HOFFMANNVS

PHIL. ET ART. MAG.
DEFENDENTE,

ADOLPHO VOELCKERO, Trabena-Mosellano,
THEOLOGIAE ET PHILOLOGIAE CVLTORE.

AD DIEM

AUGVSTI ANNO MDCC XXVI.

IENAE, LITTERIS MULLERIANIS.



BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

17
SINGULARI HIBRICO
NUM CAVAS SEPTEMBER
MONTAVOS

AD HISTORICIS MATERIALENS

ETATUARUM ET CETERARUM

LIBERIS TITULIS ET FORMIS
CENSUS ET CENSUS

IN LIBRIS HIBRICO
SERVATUR IN LIBRIS HIBRICO



ILLVSTRI AC GENEROSISSIMO
DOMINO,
CAROLO ERNESTO
GOTTHILFFIO
MARSCHALLO, GREIFFIANO,
GENERIS ANTIQVITATE, MAIORVM AC
ILLVSTRISSIMI DOMINI
PARENTIS SVMMORVM MERITORVM,
ATQVE DIGNITATIS GLORIA
FLORENTISSIMO,

INGENII, DOCTRINAE, ATQUE VIRTUTVM LAUDE

ORNATISSIMO,

AD LITTERARVM SALVTEM

QVAM MAXIME NATO,

DEVOTVM ANIMVM

TESTATVRVS,

HOC QVICQVID EST LVCVBRATIONIS ACADEMICAЕ,

CVM VOTO OMNIS PROSPERITATIS

SINCERISSIMO,

SACRVM DICATVMQUE ESSE

VOLO,
FLORENTISSIMO

PRAESES.



כעָב

PROEMIVM



Vam egregie prisci & veteres in id elaborauerint, vt mortuis funus facerent, illi non ignorant, qui studiose antiqua persequuntur. Tacemus nunc Graecos pariter, atque Romanos; tacemus alias nationes, etiam immanitatem barbaras, de quibus iam erudite preecepit politi ingenii vir, omnisque suavitatis plenus, IOHANNES

A

KIRCH-

KIRCHMANNVS, *de funeribus Romanorum*, LILI-
VS GREGORIVS GYRALDV, *de sepulcris & va-
rio sepeliendi Ritu*, IOHANNES MEVRSIVS, *de
funere*, & alii plures. In praesente nobis tan-
tum liceat respicere curam Gentis Hebraeae, quam
hoc in negotio eam suscepisse, monumenta re-
rum veterum memotiae produnt. Non qui-
dem omnia & singula, hac de re notatu digna,
prolaturi sumus in medium, quandoquidem hoc
instituti ratio non permittit: sed noster labor prae-
cipue in eo versetur, ut paucis dispiciamus, quis sit
מֵת מֵת *mortuus p̄acepti*, ad illustranda varia
Scripturae sacrae commata, in primis illud, quod
habetur Matth. VIII. 22. Luc. IX. 60. σὺ ἀφες
τὸς νεκρῶν θάψαι τὸς ἑαυτῶν νεκράς. Qua-
re praetermissa oratione minus necessaria, ea
saltem, quae rem continent, pertractabimus.
Precamur D. O. M. ut sua gratia nobis adesse
velit.

§. I.

§. I.

Dicitur Hebraeis in significatu arctiori *mortuus praecepti*, omnis vita defunctus, qui honesta sepultura dignus, nullum tamen habet suum, qui eius curam gerere possit. Hanc sententiam aliquo modo expressam legimus, in tract. TALM. ERVBHIN fol. 17. b. quando quaerenti quis sit respondeatur: *מת מצח כל שאין לו קוברין כל unusquisque cui non sunt qui eum terrae tradant.*

§. II.

Sed hoc nomine non veniunt illi, qui pereierunt supplicio. Hi enim non habebantur honesta sepultura digni. Ne autem quis insepultus esset, Magistratus duo constituit Sepulcreta, in quibus supplicium passi, humo iniecta, contegebantur. Licut tamen propinquis, carne absunta, colligere ossa, atque ea in maiorum condere sepulcris. Hinc memoriae proditum legimus, in tr. TALM. SANHEURIN fol. 46. a. *שתי בתי קברות היו מתקנים אחד לכהרגן ונתנקן ואחד לנסקין ולנשפטן נתעל הבשר מלקטן את העצמות וקוברין אותן במקומן וכו'* Sepulcreta duo constituta erant a Magistratu, de-truncatis unum, necatisque suspendio: alterum obrutis lapidibus, & combustis. Consumta carne, licet erat colligere ossa, ac ea sepelire in loco suo, h. e. alias consueto. Falsus itaque est, eruditissimus ceteroqui IOH. LIGHTFOOT, quando in horis Hebr. ad Luc. XXIII. 53. scribit: *illum, qui mortem passus est iudicio Synedrii vel Magistratus, vocarunt מת מצח mortuum praecepti, quia mors ei inficta secundum praeceptum Sc.*

A 2

§. III.

§. III.

Vim praecepti hoc officii humanitatis genus habere, iam diu est, cum existimarent Hebraeorum doctores. Rationes erant variae, quare illis haec federit opinio. Populo namque Dei, inde ab antiquissimis temporibus in more positum fuisse, sepulcro tradere corpus, vel ex solo codice sacro cognoscere promptum est. Deprehendimus enim *Genes. XXIII.* Abrahamum hunc in finem emisse speluncam, ut sibi & suis haberet sepulcrum. Id quod deinceps imitati sunt posteri: Graeci patriter, atque Romani. Quare CICERO *de legibus lib. II. p. m. 231.* mihi quidem, inquit, antiquissimum sepulturae genus id fuisse videtur, quo apud Xenopontem Cyrus visitur. Redditur enim terrae corpus, & ita locatum, ac situm, quasi operimento matris obducitur.

§. IV.

Neque cum sana ratione pugnat, si terrae redditur corpus. Ex quo enim certi sumus, hominis corpus ex terra ortum esse, nihil impedit, quo minus putemus, illud iterum terrae deberi. Id quod etiam passim Gentiles agnouisse, iam obseruauit HVGO GROTIUS *de iure belli & pacis, lib. II. cap. XIX.*

§. V.

Gens autem Hebraea eo facilius in hanc cogitationem incidere poterat, ut terrae mandaret mortuos, quo magis huic cognitum erat, id quod Adamo edixit Deus, *Genes. III. 19.* cum sudore vultus tui edas cibum, usque dum reuenteris in hanc terram, ex qua desistutus es. Tu enim puluis es, & in puluerem iterum conuerteris. Id quod in memoriam reuocauit Salomo *Eccles. XII. 7.*

§. VI.

§. VI.

Postquam ille mos sensim sensimque inualuit apud Hebraeos, sancte non solum ab illis conservabatur, sed etiam beneficii loco sepultura habebatur honesta, in primis si vita defunctus maiorum sepulcro conditus erat. *vid. II. Reg. XXII. 26.* E contrario sepultura carere, in ignominiae, infelicitatis, & poenae referebatur numerum. Quid? quod ipse DEus O. M. Israelitis suam legem susque deque habentibus, hoc poenae genus comminatus est *Deut. XXVIII. 26.* *Tunc erit cadaver tuum cibi loco, complexui avium coeli, & bestie terrestri; nec ullus erit, qui deterreat. conf. Ier. VII. 32. VIII. 2. Ezech. XXIX. 5.*

§. VII.

Apud Hebraeos igitur, cum sepulturae honestae magna esset dignitas, ideo omnes, qui non prouersus humanitatis exuerunt sensum, desiderabant vel ut maxime funerari patrio ritu. Hujus voti pariter, atque desiderii semper rationem habuerunt viui, studiose diligenterque curantes funus. Moti autem sunt, in caeteris, hac sententia: *quod tibi vis fieri, etiam alteri facias, quavis occasione data.* Id propter quisque sibi persuasit, se vi legis obstrictum esse, ut pro ratione conditionis, status, ætatis, sexus, temporis, & loci, suum affectum & studium, hac in re omnimoda comprobaret. Quare R. MOSES BEN MAIMON, *Hilcoth Ebbel cap. XIV.* §. 1. scribit: מצות עשה של רכירות לבקר חולין. ולנהום אבלין ורהורציא הרמת ולחכננס רכילה ולוות האורחות ולחהתען בכל צרכי הקבורה לשאות על הרכוף ווליל לפניו ולספער ולחפור ולකבר. וכן לשפט הכהלה והחתן ולסעדם ככל שרכיהם ואלו הן גמלות חסודות שבגנוו שאן להן שעורה. אף על פי שכל מצות אלו מורבריהם. הרי הן בכלל

בכל ואחת לער כטיר כל הרכבים שאחה רוצח
שיישו אותו לך אחרים עשה אתה אותו לאחד בחרה
Praeceptum affirmatum est, ex mente sapientum,
visitare aegrotos, consolari lugentes, ducere funus, intro-
ducere sponsam, deducere viatores, atque operam dare
omni, quod ad sepulturam requiritur, e. g. efferre mort-
uum super bumero, antecedere eum, plangere, fodere,
sepelire. Pari ratione exhilarare sponsam & sponsum,
ipsis adesse indigenibus ope. Haec sunt opera charitatis,
quae corpore praefstantur, quibus in lege nullus prescri-
bitur modus. Licer omnia haec praecpta sint de senten-
tia sapientum: ea tamen continentur in hoc oraculo:
(Leu. XIX. 18.) diligas proximum tuum, sicut te ipsum, (i. e.)
quidquid tibi vis fieri ab aliis, illud fac etiam fratri tuo,
secundum legem & praecpta.

§. VIII.

Nec est, cur existimes, recentioris saltet aetatis Iudeos dixisse, hanc consuetudinem habere vim praece-
pti. Sunt enim antiquiora litterarum monumenta, in
quibus huius opinionis vestigia deprehendere licet. Ne-
minem namque fugit, quae praecepit IESV, FILIVS SIRACH,
Cap. XXXVIII. 16. τένον ἐπὶ νεκρῷ κατόγαγε δάκρυα, καὶ
ὡς δεωδὲ πάσχω ἔναρξε θρήνος. Κατὰ δὲ τὴν κέισιν αὐτῷ περί-
τελον τὸ σώμα αὐτῷ καὶ μη ὑπερέδη τὴν ταφὴν αὐτῷ. Fili,
mortui causa effunde lacrymas, & tanquam dura passus,
lamentare. Pro ratione conditionis illius, tege corpus eius
veste, neque contemne sepulturam ipsius. conf. Sir. VII.
36. 37. XXII. 9. 10. Eadem lege, procul dubio, excitatus
erat TOBIAS, si vnde fuit in rerum natura, ut etiam
cum vitae periculo terrae mandaret Israeltarum ca-
davera, quae furor hostis inseulta proiecit. vid. Tob.

I. 20.

I 20. seqq. Cap. II. 3. seqq. Huc etiam referri potest pietas discipulorum IOHANNIS, quem , praeter meritum suum detruncatum, sepelierunt ipsi; conf. Matth. XXVII. 57. seqq. Act. VIII. 2.

§. IX.

Hoc praecepto adeo quemlibet adstringi continebat Iudaei , vt ne sacerdoti quidem , si vel maxime summus fuerit pontifex , integrum esset , praeterire cadaver iudaicum , in via repertum , atque relinquere il- Iud inhumatum , non obstante interdicto , quod habetur Leu. XXI. 1. seqq. Id ipsum docet MAIMONIDES Hilcoth Ebbel Cap. III. §. 8. כוֹן שְׁפָעַ בְּמִתְּ מֵצָה בְּרַךְ חֲרוּ וּהְ מִטְמָא לְרִי אֶפְרַאֵל כְּהֵן גָּדוֹל חַיִב לְהַטְמָא לְוּ וּלְקֻבָּרוּ וְאוֹזֶה נְתַת מֵצָה ? אחר טִשְׁרִיל שְׂחוֹר מְוַשְׁלָךְ בְּדַךְ אֵין לְקֻבָּרִין בְּמִתְּ רְבָרוֹם אָמְרוּם ? כְּשַׁחַד וּכְחַד לְבָרוּ וְאֵין עַפְוָן אַחֲרֵי קָרָא שֵׁם בְּרַךְ וְאֵין לְוּ שְׁנָה . אָבֵל אֵם כְּשַׁקְרָא אַחֲרִים עֲנוּנִים אָתוּ אֵין זֶה מִתְּבָנָה . בְּצֹהָא אֶלְאֵיךְ רָא לְאַחֲרִיסּוּבָא וּוַיְסַכּוּבָא Sacerdos, qui incidit in mortuum praecepti , foras proiectum , omnino propter illum se contaminare debet , etiamsi summus fuerit pontifex , tamen obstrictus est , se polluere eius caussa , atque ipsum sepellire . Sed ob quemnam mortuum praecepti ille tenetur ? Si is unus fuerit ex Israelitis , qui proiectus foras , nec adfint qui illum sepeliant . Quo in casu dicta valent ? quando sacerdos solus , neque alius cum ipso : licet clamauerit ibi , in via constitutus , & nullus respondeat . Si vero sunt , qui eum clamantem audiuerint , non est eiusmodi mortuus praecepti , (sc. vi legis sepeliendus a sacerdote,) sed aduocet alios , qui accedant , & occupentur circa ipsum .

§. X.

§. X.

Mortuus praefertur sponsae, si charitatis opera inter se conferuntur. Vnde tenetur quisque Iudeorum magis operam dare funeri, quam nuptiarum officio. Id quod testatur MAIMONIDES *Hilcotb Ebbel Cap. XIV. §. 8.* כי שחד רפנוי מות וכלה מניח את הכהלה ומתעסך עמו המת והוא אומר לב חכמים בבוח אבל וגדי incidit in mortuum, & sponsam simul, derelinquit sponsam, & occupatur circa mortuum, iuxta illud Ecclesiastae (Cap. VII. 4.) dicentis: *animus sapientum est in loco luctus &c.*

§. XI.

Tandem etiam hanc ob caussam pompam funeris vrgent Iudei, quia vita defunctos non latere arbitrantur illud, quod suscipiunt iuxta ac moluntur, in his terris viui. Id propter, etiam illos post mortem honore afficiendos esse, praecipiunt. IOHANNES ANDREAS EISENMAYER, in *Iudaismo detecto*, Parte I. cap. XIX. p. 886. in ceteris, quae profert in medium, locis, etiam verborum R. BECHAI, iniicit mentionem, quae legere licet in suo *commentario*, in *pentateuchum*, fol. 229. Illa hic transcribere iuvat: למורנו וחכמים זל בכאן בפירוש Sa מהמות וורעים אפרלו עוננים שבועלם הוֹרֶץ ובר' p. m. docuerunt nos hic expressis verbis, quod mortui etiam cognoscant ea, quae in hoc mundo peraguntur &c. conf. VVILHELMI SCHICKARDI *ius regium Hebraeorum* p. m. 173. seq. SEPHER MINHAGIM *Hilcotb Abbe-luth cap. ult.*

§. XII.

Hisce, & forte aliis rationibus, moti sunt Hebreworum doctores, ut hoc praeceptum de mortuo ex lege

lege sepeliendo, nimium quantum extenderent: quippe qui exsequias huiusmodi magno comitatu & pompa celebrandas esse decebant, ponentes eximii quid in multitudine comitantium. Quare factum est, ut hominibus eo tempore, quo funus ducendum, interdicerent tamdiu studiis & laboribus, quamdiu nondum tot conuerterant funeri operam dantes, quot requirebantur. Requirabant autem minimum, duodecim millia hominum.

Hanc constitutionem legere est, in tr. Talm. MEGILA

ה' מבטלין תלמוד תורה להצאת המת ^{ה' ר' יוחנן אמרו עליו על ר' יהודה ברבי אלען שהו}

ולהכנסה כליה אמרו עליו על ר' יהודה ברבי אלען שהו מבטל תלמוד תורה להזאת המת ולהכנסת כליה במתה

דברים אמרם בשאיון שם כל צרכו אבל יש לו כל צרכו אין מבטלין כמה כל צרכו אמר ר' שמואל

בר אニア משכיה דרב הירוש אמר נברא ושורת

אלפי שופרא ואמרי לה תורסר אלפי נברא ומיניוון

שיורא אלפי שופרא Docent Rabbini nostri: desunt a

legi studio, quando deducendum funus, aut introducenda

est sponsa. Dicunt de Rabbi Iehuda filio Rabbi Elai, quod desierit

legi operari, cum mortuo funus faciendum, aut introducenda

esset sponsa. Sed quoniam in casu dicta valent? Quando

non tot adsunt comitantes funus, quot requiruntur. Si

vero adsunt, non intermittunt studium legis. Quoniam au-

tem requiruntur? Dixit Rabb Schemuel, filius Enoja, sub

nomine Rabb, duodecim millia hominum, & sex mille praec-

ones ferales. Sunt tamen qui dicunt, quod sex mille indi-

ctorum funeris sub duodecim millibus comprehendantur.

תלמוד תורה ומת מצוה מות Porro l.c. fol. 3. b. dicitur:

מצוה עדיף רתניה מבטלין תלמוד תורה להזאת מת

Maior ratio habenda est mortui ex lege sepeliendi, quam studii legis.

Est enim doctrina exoti.

exotica: intermittunt studium legis, quando mortuus effrendus, & sponsa introducenda est. In TOSEPHOTH ad b.l. scriptum legimus מות מצוה זה לכל המהים לאו דוקא מות מות ex lege separandus, in significatu strictiori, sed hoc referri debet ad omnes mortuos. conf. CETHVBHOTH, fol. 17. a.

§. XIII.

Sed quoniam vi huius praecepti, in omnibus locis rei Iudeorum publicae, funus satis amplum, cuius honesta sepultura digno, faciendum erat: ideo hoc officium multis fuit oneri; quandoquidem magnam temporis iacturam plurimis attulit. Id propter factum est, ut variis in locis instituerent SODALITATES MORTIS, quibus id negotii datum fuit, ut mortuos, funere satis honorifico, efferent. Vbicunque igitur hic ritus inualuit, ibi reliqui incolae immunes erant ab hoc officio praestando. Id quod cognoscimus, ex TR. TALM. MOED. KATON fol. 27. b. רב המנונה איקלע לרומרתא שמע כל שיפורא דשכבה חוי הנך אינשי רקה עברו עבדות אמר להו להו הנך אינשי בשמה לא שכבה אין כבשתה אמרו להו אין חברותין במתא אמר ליה אי רמי שרוי רב Rabb Hamenuna aliquando venit in urbem, versus meridiem statim, in qua audiuit sonum tubae praeconum feralium. Cum autem videret incolas bosce suum facere opus, dixit illis: Sunto anatemizati bi homines; nonne mortuus est in urbe? cui responderunt: hic loci est SODALITAS MORTIS. Quibus regessit: si ita est, vobis operari licet. Eandem sententiam confirmatam legimus, in SEPER MIZVOTH GADOL R. MOSIS KOTZENSIS, Hilcoh Abbeluth fol. 248. b. ואמרין כן מות בעיר כל בני העיר אסורי בעשיית מלאכה

סְלָאכָה עַד שִׁקְבָּרוֹ וְאֶם יְשֵׁה בְּוֹרָא מִתְּחִין וּכְזַה
*Hinc dicimus in MOED KATON: ciuibus labore perfungi
 non licet, si mortuus est in orbe, usque dum eum terrae
 mandauerint. Sin vero praestol est SODALITAS MORTIS, il-
 lis permisum est obire labores.*

§. XIV.

Neque hodie prorsus desierunt esse inter Iudeos
 eiusmodi societates, quae gratuitam funeris curam ge-
 runt. Refert enim Cl. IO. IAC. SCHVDT in libro, qui
 inscribitur *Jüdische Merckwürdigkeiten P. IV. Conti-
 nuat. II. Cap. XXXVII. p. 413.* verbis, quae sequuntur:
 Ich war an. 1716. den 10. Aug. auf dem Jüden-Kirchhoff
 bey Begräbnis eines kleinen Kindes, und kam dabei mit
 einem anschnl. Jüden in discurs, daß sie ein so großes
מצוות meritum und verdienstl. Werk aus der Todten-Begräbniss
 machten; welcher mir nach einigen andern geführten Reden,
 dieses vorhielte, daß Todten begraben ein Gott angeneh-
 mes und gesälliges Werk sey, könne man ja deutlich daher
 ersehen, weil Gott der Herr selbsten den Moses begraben
 habe, Deut. XXXIV. 6. dem ich versezte, daß es wohl,
 wie an TOBIAE exemplum zu ersehen Tob. I. v. 20. 21. II. 2.
 seqq. ein Gott gesälliges, aber darum eben so groß ver-
 dienstl. Werk nicht sey. Er wiederredete: bey euch Christen
 ist das Todten-Begraben so eine kostbahre Sache, und er-
 fordert so viel Geldt, daß sich mancher mehr um die Leich-
 Kosten, als um den Todten selbst bekümmt; bey uns
 Jüden aber geschicht alles umsonst, und kostet die Leidtra-
 gende gar nichts, welches ja ein gut Werk, und den Be-
 trübten ein großer Trost ist. Daher denn unter den Ju-
 den der Gebrauch entstanden, daß sich eine Gesellschaft
 um die Todten zu begraben / zusammen geschlagen;

entweder daß sie des Tobiae Beispiel darin folgen wollten, oder sonst aus anderer Absicht. Wenigstens findet man einige Spuren in H. Schrift, daß vergleichnen Todten-Gesellschaften zu uhralten Zeiten schon im Brauch gewesen, wie denn MATTHAEVS LARROQVANVS, Lib. I. Aduersar. sacr. p. 195 schreibt: *Apostolorum aeo quidam erant viri, quibus humandi mortuos incumbebat officium; ex hist. Ananiae & Sapphirae hoc non immixto colligitur; subsequentibus vero temporibus, qui in Ecclesia dignitatibus excellebant, vel qui pietate eminebant, id muneris obibant &c.*

S. XV.

Nec ullum est dubium, quin iam olim haec constitutio ad alias transferit gentes. Quare IOH. ANDREAS QVENSTEDT de sepultura veterum p. 113. scribit: *qui funera olim curabant & efferebant κοινωνες b.e. laborantes nominantur in epist. 12. ad Antioch. quae sub S. Ignatii nomine circumfertur. Item κοπιαται, & lecticarii, de quibus Iustinianus Novell. 43. & 59. Constantinus M. ὁ ἐγιαγόντης βασιλεὺς ἀπόστολος (primus enim Imperatorum Christo nomen dedit) in ecclesia Constantinopolitana instituit 950. officinas (quarum numerum postea auxit Anastasius Imperator) immunes ab omni publico munere & decalogali, quae suppeditarent LECTICARIOS, seu COPIATAS, qui gratuitam efferendis mortuis & sepeliendis praeflarent operam. Ad quorum COPIATARVM, seu LECTICARIORVM formam, Romae, & ex hoc traduce, alibi instituta SCODALITATES MORTIS, quibus mortuis sepeliendis precipua cura, referente BARONIO tom. III. anno CCCXXXVI, & LORINO, in Cap. VI actuum Apost. Hanc enim curam sibi sumebat sodalitas mortis, ut Elegiana in Belgio*

Belgio, ut nemo mortuus supremo funeris & sepulcri honore careret. Huc etiam spectant ea, quae tradit IOHANNES MICHAEL DILLHERR in dissert. historica, de antiquo ritu funerum, praeципue in ecclesia, verbis, quae sequuntur: Singulari insuper pietate quidam inflammati inierunt sodalitum mortis, quale est in quodam apud Belgas oppido, Bethunia, partim ab affectu, partim ab auctore, CHARITAS ELIGIANA, (ab Eligio, veteri Flandrorum Apostolo,) nominata. Vocatur sodalitas mortis; quia banc sibi curam sumit, ut nemo mortuus supremo funeris & sepulcri honore careat. Ad legitimam huius rei administrationem quotannis XXI. viri ex honestissimo ciuium ordine diliguntur, qui communibus suffragiis Praepositorum, & quatuor ipsius Collegas, quos nominant Maiores, creant, qui se duces praebant, & ceteros, pro sua auctoritate sese subsequi cogant in aedium mortualium penetralia, inde cadavera exportare, & quocunque morbi genere fuerint extincti, sandapila efferre, & tumulare.

S. XVI.

Hi viri, qui SODALITIVM MORTIS constituebant, similiter dicebantur סְדָלִים, quin & hodie ita dicuntur Iudeis. Est enim hoc nomen inter eos adeo familiare, ut illud homines de grege non ignorent. Haec forma dicendi est elliptica,* Hebraeis pariter, atque Graecis vistatisima. Plene dicendum: כַּתֵּבָה אֲנֵשִׁי מֵתִים praecepti, h.e. viri, qui funeris curam sustinent. Quam plurima huius

* Conf. SALOM. GLASSII Philologia. S. lib. III. tr. I. Can. XXXIX. Summe Ven. Dn. D. DANZII Syn. Interpr. §. 174. LAMBERTI EOS Ellipses Graecae.

ellipsoes in sacris occurunt exempla. Sic Psalm.
CIX. 4. dicitur : אִישׁ הַפְּרָחׁ וְאַנְּיָ חֶלְדָּה * ego
autem sum precatio h. e. vir precationis, sive precator,
i. e. fundo pro meis hostibus preces. Job. XXXII. 7.
אָמַרְתִּי יִסְמֵךְ וְכֹרֵן שְׁנָם וְרוּשָׁוּ חֲכָמָה cogitau*i*
days h. e. prouectos aetate, verba facturos esse, &
multitudinem annorum i. e. annosq*u*s indicatores sapien-
tiam. Proverb. XIV. 25. טַל נְשׂוֹת עַד אַמְתָה וּפְחִיחָה כּוּבִים
liberat vita periclitantes testis verus : sed eructat
mendacia dolus, h. e. vir doli, sive dolosus. conf. Cap.
XII. 27. Cap. XIII. 6. Cap. XIV. 1. Integra loquendi
ratio habetur Proverb. XIX. 24. אֲשֶׁר רַעַם רְהַרְעוּעַ
וְשָׁאֵל רַבְקָה vir amicorum h. e. cui sunt ami-
ci, se ipsum amice gerere debet ; quia sincere amans,
coniunctior est fratre. Neque in novo foedere, haec
loquendi forma inusitata est. Apostolus enim PAU-
LUS Gal. II. 7. dicit : οὐδὲντες ὅτι πεπίστευμα τὸ ἐναγγέ-
λιον τῆς ἀποστολίας, καθὼς πέρησον τῆς περιτομῆς, vi-
dentes quod mibi concredidum euangelium praeputii, h. e.
virorum praeputii, sive praeputiorum ; sicuti Petro
circumcisio h. e. circumcisorum. Rom. III. 30. οὐ δι-
καιώσει περιτομὴν ἐκ τῆς πίστεως καὶ ἀποστολὴν διὰ τῆς πίστεως,
qui iustificat circumcisionem, h. e. virum circumcisionis,
sive circumcisionem, ex fide, & praeputium i. e.
non circumcisionem, per fidem. conf. Col. III. 11.

§. XVII.

Quae omnia sese ita habere, cum quisque in-
telligat: ideo non dubitamus exinde illustrare, quae
Optimus noster saluator Matth. VIII. 22. Luc. IX. 60.
dixit

* Vid. R. DAVID KIMCHI, in commentario ad b. l.

dixit juueni, soluturo patri suo prius iusta, quam eum fequeretur : ἀφες τὰς νεκρὰς θάψαι τὰς ἑαυτῶν νεκρὰς, sine mortuos sepelire suos mortuos, h. e. sine viros mortuorum, qui sepeliendis mortuis praestare solent operam, suos sepelire mortuos ; quia hisce id negotii datum. Est enim ibi SODALITAS MORTIS, vbi pater tuus mortuus est : quare cura sepeliendi ad te non pertinet. Tu igitur sequere me, sanctioribus imminens, & dimitte praetextum reuerten-
di ad tuos. Perinde ac si dixisset CHRISTVS : ἀφες τὰς νεκρὰς θάψαι τὰς ἑαυτῶν νεκράς.

§. XVIII.

Proprie *venpōi* dicuntur illi, quorum anima separata est a corpore, atque adeo ipsa hominum cadauera. Hoc sensu sumitur vocabulum illud, in parte posteriori nostri commatis. conf. I. Tbeff. IV. 16. Impropie autem illi hoc nomine veniunt homines, qui vel a vera disciplina sunt alieni, vel omni prorsus spirituali destituuntur vita, & sibi viuunt, bona animi negligunt, in tenebris & morte ver-
fantur. vid. Eph. II. 1. add. IOH. PRICAEI annotatio-
nes, ad i. Tim. V. 6.

§. XIX.

Sed propriam vocis significationem, uti ea so-
nat in nostro textu, hic non habere locum, quis-
que perspicit : quia mortuis in priori parte com-
matis adscribitur sepeliendi actus. Quapropter
omnes, quoconque nobis conferre licuit, inter-
pretes, ad impropium delapsi sunt significatum.
Veteres per *venepē* intelligunt, vel *τὰς αἵτις* infi-
deles, uti CHRYSOSTOMVS, & THEOPHTLACTVS ; vel
venepē

νεκροῖς τοῖς παραπτώμασι, mortuos in offensis. Horum
 sententias ordine enarrat IOH. CASPAR SVICERVUS,
Thef. Eccles. Tom. II. p. 393. seqq. Vestigiis istorum
 deinceps insistebant recentiores. HVGO namque
 GROTIUS ad h. l. scribit: *sensus verborum Christi est,*
eorum esse, curam rerum corporalium animi culturae an-
teuertere, quibus animus hebes, atque iners torperet. In
 hanc sententiam loquitur M. MARTIN CASPAR. WOLF-
 BYRGIVS, *obseruation. sacrar. in N. T. p. 413.* his ver-
 bis: *Sensus dicti Matth. VIII. 22. Luc. IX. 60.* hic est:
Illi hoc faciant, qui regnum Dei adhuc non curant, &
 spiritualiter mortui sunt. HENRICVS HAMMONDV in anno-
 tationibus ad N. T. idem fere sentit. Is enim inquit;
bic est figura, quam ἀντανάκλασιν vocant Rhetores, qua-
 solent scriptores omnes una eademque voce his uti co-
 dem in loco, sed vario sensu. Et quibusdam interie-
 quis, pergit: *eadem figura, postquam mentio mortis*
patris praecessit, sine mortuos, inquit Christus, sepelire
mortuos, at tu sequere me, hoc est, sine non mortuos,
sed alios, hos officio fungi mortuos sepeliendi; sed tu,
qui es sanctiori muneri consecratus, iis debes intentus
esse, ad quae es vocatus. Haec autem verba, si non fuerint
 inter Iudeos παραπτώδη, omnino videntur fuisse
 initatio alicuius alias proverbi, quale est, similis ad si-
 milem, viuus ad viuum, mortuus ad mortuum &c.
 quae sumenda semper non sunt proprio sensu, nec mi-
 mis urgenda. Ad Antanaclasin, simili ratione hoc
 comma refert SALOMO GLASSIVS Philol. sacr. lib. V.
 tr. II. cap. III. Neque recentissime ab hac sententia
 recesit, Maxime venerandus Dn. IOH. CHRISTO-
 PHORVS WOLFIUS, in curis Philologicis & criticis ad h. l.
 quando

quando dicit: *venegi, hic sunt seculo viuentes, & cupiditatibus suis.*

§. XX.

Sed quoniam primo, inter omnes constat, a sensu literae non esse recedendum, nisi summa id exigat necesitas: id propter prius dispiciendum est, vtrum non alia ratione textui possit fieri sat. Si igitur ellipticam dicendi rationem admittimus, sacris iuxta atque profanis scriptoribus sat satis familiarem; tunc voci *γενέων* propria sua constabit significatio. Secundo, pietatis est, facere parentibus funus. Quare etiam ille iuuenis obstrictus erat, vt eius gereret curam; & quidem eo magis, quo magis hoc ultimum officium Hebraeis habebatur sanctum. Tertio, non ignorabat ille, hoc pietatis officium patri suo praestitisse IOSEPHYM *Genes. L. 10.* Esauum, & Iacobum, *Genes. XXXV. 29.* Iam vero constat, Hebraeos sibi semper PATRIARCHAS vel ut maxime imitandos proposuisse agendo; in primis illi, qui videri volebant iusti. Quare circa scandalum vix dehortari poterat iuuenem CHRISTVS; ne patri iusta persolueret. Huius accedit, quarto, quod hoc officii genus, vim praecepti obtinuerat apud Iudacos, ut supra indicauimus. Hinc facile concludere potuisset ille discipulus, CHRISTVM eiusmodi docere, quae tollerent omnem pietatem ac leges, quemadmodum saepius eum falso criminalabant Pharisaei. Hoc modo ille magis persuersus, quam in doctrina CHRISTI confirmatus fuisset. Nam responsio CHRISTI, hoc sensu intellecta, hosce non e medio sustulisset scrupulos. Tandem

C

noui-

nouimus, CHRISTVM ipsum obseruasse bene consti-
tuta Iudeorum, & commendasse scribarum &
Phariseorum doctrinam, in quantum non aduer-
tabatur legi diuinae. Matib. XXII. 3.

§. XXI.

Non est, quare dicas, CHRISTVM id propter
noluisse, hunc a se dimittere iuuenem, vt ne se-
duceretur a suis. Is enim siue prorsus de veritate
doctrinae CHRISTI fuit conuictus, siue minus. Sin
prius; non ita facile voluntatem eius alienare po-
terant sui. Ille e contrario occasionem nactus e-
docendi suos, vt CHRISTVM pariter sequerentur, e-
iusque amplecterentur doctrinam. Hanc etiam ob-
causam CHRISTVS misit suos discipulos, vt alios sa-
lutari doctrina imbuuerent. Si vero posterius; tunc
non bene firmatum in fidè, magis dubium reddi-
disset responsio CHRISTI, quia eum auocaturus fu-
isset ab officio pietatis, quod omnium Iudacorum
consensu sancte seruandum. Quare R. MOSES BEN
MAIMON, *Hilcoth Ebbel*, cap. XIII. §. 12. ex mente Ma-
iorum praecipit. כל מי שאנו מראכבר כמו שצוו. הַמְּלֵיכָה הַרְוִי וְתִּזְבְּחֶנְתִּי אֲלֵיתִי וְפֹהָרֶד וְרוֹאֵן וְפִטְפִּשְׁשָׁה בְּמַעֲשֵׂנִי וְחוֹזֵר בְּתַשְׁכּוֹתִי Omnis, qui non luget iuxta
praescriptum sapientum, ecce iste crudelis est. Expan-
scat igitur, anxioque animo ac sollicito tristetur, etiam
inquirat in opera sua, & poenitentia ductus, reuer-
tatur.

§. XXII.

Verum enim vero, omnes istae difficultates
euanescent, si statuimus, eo in loco, vbi dicti Iu-
uenis

uenis pater diem obiit supremum, fuisse SODALITIUM MORTIS, cuius supra mentionem fecimus. Vbi cunque autem eiusmodi erant viri, ibi nullus tenebatur funeris gerere curam, sed ab hoc officio praestando prorsus abstinere poterat. Pròpterea non opus habuit iste iuuenis, vt reuerteretur ad suos funeris faciendi causa. Quare dicamus necesse est, eum petuisse a CHRISTO veniam abeundi, ad sepeliendum patrem suum, vel ut cognosceret, quid CHRISTVS de huiusmodi SODALITATE MORTIS sentiret: quia & alias saepius iudeorum ritus & statuta notauit CHRISTVS: vel ut occasionem haberet reuertendi ad suos, & differendi sequelam. Sed quoniam CHRISTVS non ignorabat, habere hunc iuuenem nihil caussae, quare abiret; ideo dicebat: *sine viris mortuorum h. e. SODALITIVM MORTIS, suos sepelire mortuos, ac noli nunc sollicitus esse de parente mortuo, quia iam constituti sunt viri, qui funeris rationem habent.* Nihil itaque impedit, quo minus me sequaris. Sequamur igitur strenue CHRISTVM, qui posthabit is mundanis, unicum nostrum est solarium, & omnium vere credentium

F I N I S.

COROLLARIA.

- I. Sacri Codicis interpres mathematum prorsus expers nomen suum vix tueri potest.
- II. Constructio arcae Noae erat opus mathematicum.
- III. Qui indicat secundum leges opticas etiam vere iudicat, non fallit, neque fallitur.

C 2

IV. Hy-

AK III/64

83 (20) 84

- IV. Hypothesis Copernicanorum scripturae sacrae non aduersatur.
- V. Historia haud raro hominum prodit indolem: quapropter res gestas memoria tenere & iuuat, & prodest.
- VI. Felix, qui nactus est bonum historicum.
- VII. Cain non aedificauit urbem.
- VIII. Laanech neminem occidit.
- IX. Deus solus individua adaequate cognoscit.
- X. Simplex absolute tale non potest diuidi, neque componi.
- XI. Gematria est lusus ingenii, & figmentum Rabbinorum.
- XII. Vox סָרֵךְ huius beneficio declarari nequit.
- XIII. Hanc tantum non prorsus asseditus est B. noster Lutherus, quando dicit; *Sela bedeutet ein Stillhalten, und tiefes Aufmercken.*
- XIV. Eius flectionem ostendit נִסְתַּר Psal. IV. 7. significatio[n]em radix סָרֵךְ expendit. conf. Psal. IX. 17.
- XV. Vox ἀιών respondet hebræa עֹלֶל, quam per durationem transferre licet.
- XVI. Dantur ignes calidi, qui non lucent.
- XVII. Lucent corpora, quæ non sunt lucida.
- XVIII. Frigidis corporibus integumenta suum conseruant frigus.
- XIX. Aquas supra coelestes ignorat philosophus, neque probat philologus.
- XX. In mala opinione bene parta, delectetur bonus.
- XXI. Bonum non videri omnibus, aliquando expedit.
- XXII. Ad iusiurandum leuis ingenii homo vix admittendus, multo minus adstringendus est.
- XXIII. Suspectum de iureinrando, recte non adiurant iudei. conf. Maimon. Hilcoth Toen. venitan Cap. II. §. 1.
- XXIV. Oratoris est, non parum tribuere auribus, quarum iudicium multos latet.
- XXV. Latina lingua ex monumentis veterum Poetarum multum locupletatur.
- XXVI. Dementare actiue usurpatur Apuleio, & aliis.

83 (20) 84

nc X2379832

